

MEYNARDVS I. LIVONIENSIVM EPISCOPVS.



Meynardus de Zegenberg multis artibus & disciplinis instructus & magna pietate præditus fuit. Hic cum mercatoribus Lubecka discedens, nauigio in Liuoniam peruenit, atq; idolo latriam eam gentem Christo lucrari studuit, anno Christi circiter 1200. Ibidē casam extruxit, atq; cum famulo commoratus, Liuonicam linguam magno labore didicit. Postea Euangelium annūciare cœpit, atq; multas eius terrę incolas ad Christianam religionem perduxit. Cum res ibi prosperè succederent à Harduico Bremensi Archiepiscopo, anno 1186 in urbe Rigenſi primus Liuoniensis præsul electus fuit. Itaq; is eam ecclesiam sua diligentia egregiè plantauit. Cum etiam Lithuanī Christianos in ijs locis molestarent, eius iussu aliquot arcēs ad ripam Dunæ fluminis erectæ non procul à Riga, ut hostes arceri possent. Hoc modo eam ecclesiā per multos annos optimē Meinardus administrauit & tandem Bertoldum Cisterciensium abbatem, in ope re pietatis & episcopatu successorem habuit. Crantz, lib. 6, cap. 10.